

X
1798 6

DE
CAVSIS CONTEMPTI IVRISIVRANDI

**ILLVSTRIS
IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE**

P R A E S I D E

**CAROLO CHRISTIANO
KOHLSCHVTTER**

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

A. D. III. APRIL. MDCCXCII.

H. L. Q. C.

DISSERET

A V C T O R
IOANNES SAMVEL IVNGHANS
MISNENSIS SAXO.

VITEBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISI.

V E R O
PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO
FRIDERICO AVGVSTO
VON SCHMID

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CON.
SILIIS LEGATIONVM INTIMIS, IN SENATV INTL.
MAE ADMISSIONIS SECRETARIO ATQVE ARCHIVARIO

MAECENATE AC PATRONO

PIE COLENDO

HVNC
LIBELLVM ACADEMICVM

IN SIGNVM

PIAE AC DEVOTAE MENTIS

TRADIT

von SCHMID


EQUIVE CIVICIS LIBERIS
SOCIIS INSTITUTIS
SE SVARVE OMNIA

DEMISSE COMMENDAT

PERILLVSTRI EIVS NOMINI
CONFERATUR THERAPIEA

ADDICTISSIMVS

JOANNES SAMVEL IVNGHANS:



Cum multa in CICERONIS de legibus libris de conformanda republica sapientissime scripta sint, tum istud egregium est, quod nulla re prius nisi pietate erga Deos ciuitum mentes imbuendas esse censet, cuius sententiae et alias plures et hanc in primis adfert rationem, *quod multa firmen-
tur iure iurando.*^{a)} Quamuis enim ciuitates legibus maxi-
me contineantur, haud tamen scio, an parum istae ad salutem communem efficiendam virium habiturae sint, nisi iuris-
iurandi auxilio subleuentur. In magna legum inopia rudi
saeculo fides ac iuriurandum, vti LIVIUS testatur^{b)}, popu-
lum romanum rexit, quem eundem, postquam sacramenti re-
ligio negligi cooperat, plurimae eaeque optimae leges coërcere non poterant.^{c)} Quid tamen exemplis ad taalem causam

A 2

probantur.

a) I. II. c. 7.

b) I. I. c. 27.

c) Testem aduoco Iuuenalem, qui de contemptu iuriurandi, quo effectum sit,
ist, vt leges vim nullam haberent, saepius queritus. Cf. e gr. lat. II.
et XIII.



probandum opus est, quam ipsa societatis ciuilis natura satis demonstrat. Multa enim in quauis ciuitate, vt consilium eius obtineri possit, fieri oportet, quae obseruationem publicam effugiunt, ideoque priuatae cuiusuis conscientiae permitti debent: in quibus in tanta hominum leuitate saepe peccabitur, nisi animi ciuium cogitatione numinis commoti a fraudibus et mendaciis absterrentur. Quo magis dolendum est, de nostris hominibus magnam partem haud iniuria dici posse, quod in Graecos testimonium aduersus Flaccum perhibentes ad eorum fidem eleuandam CICERO iacit,⁴⁾ iuriurandum *ipsis iocum esse.* Neminem enim res humanas paulo attenuans spectasse puto, quin animaduerteret, quam leuiter ac contentim iuriurandum in sermone vulgari tractaretur, quam saepe falsa in iudiciis nostris religione confirmarentur, quam multa denique aperte fierent, quae promissioni iuratae aduer-sarentur. Tanto vero malo, quod in dies latius serpit, vi-resque acquirit eundo, ne fidem omnem ex nobis tollat, summa vi resistendum est: quod, vt fieri possit, origines eius atque causae sedulo anquirendae sunt. In quibus inuestigandis ab iis longissime abscedo, qui cum HESIODO⁵⁾ clamitantes,

Μῆνετ' ἐπειτ' ὥφελον ἔγω πεμπτοῖσι μετενοῦ
ἀνδρασιν, ἀλλ' οὐ προσέθε θανειν, οὐ ἐπειτα γενεθανεῖ.
νον γαρ δη γενος σιδηρεον — — —
σχετλιοι, τούτῳ Θεων ἐπιν εἰδότες!

seculum' impietatis accusant, eamque, vt alia quam plurima mala, a maiori ingeniorum cultu, quo aetas nostra mirifice sibi placeat, profectam esse existimant. Neque enim pietas nostris temporibus vieta iacet, quibus praeclera multorum flidia in eo occupantur, vt natuum splendorem, qui haud paucis

⁴⁾ pro Flacco, c. 5.

⁵⁾ Εργ. κ. Ημερ. v. 172. seqq.

cis maculis adhuc adspersus fuit, religioni reddant: et etiam si cultiora aequalium ingenia quaedam in doctrina de iure iurando adsparentur atque rideant, quae maiores nostri magnopere venerabantur, exinde tamen non iniqui vituperii materiali, sed incitamenta eius studii repetere nos oportet, quo tenebris, quibus superius aeuum magnam iuris partem obscurauit, nostrae aetatis lucem inferamus. Nam ut mentem meam libere profitear, *causae contenti* inter nos *iurisiurandi*, aut solae, aut saltim praecipuae, in ipso iure nostro, cui locus de iure iurando fere proprius est, sitae esse mihi videntur, de quibus hac qualicunque scriptione paulo vberius exponetur.

Ac primum quidem ipsam iurisiurandi naturam inspicere necessarium est, quam in iureconsultorum libris ita vulgo explicari video, ut verendum sit, ne in eo ipso, in quo religioni consulere volunt, ridendac negligenda eque eius causam haud paucis praebant. Nam si rem ex vero aestimare volumus, et nimia libertas eorum ferri nequit, qui in iurante ne cogitationem Dei quidem requirunt, et minus recte sentiunt, qui iurantes in ipso Numinе aliiquid efficere posse opinantur. Immo vero vis et efficacia iurisiurandi in sola hominum mente conspicitur: quae cum dubia saepe atque incerta haereat, rationi obtemperare an sensibus obsequi malit, momento aliquo opus est, quo in eam partem, quam officium postulat, impellatur. Et in iis quidem rebus, quas oculis cernimus, quis aliquam inueniri posse putet, cui tanta vis tamque diuina tribuenda sit, vt, quaecunque tandem species inciderit, a prauitate nos abduceret: quippe quo propius nos attingunt, eo diligentius, ne istarum amore in vitia abripiamus, caendum est. Sola Dei immortalis mundum sapientia



tia regentis ac cuncta ita moderantis, ut recte maleue factis iusta tribuantur, cogitatio et ad animum commouendum aptissima est, et, modo rite eam usurpemus, a recto virtutis tramite nunquam abstrahit.^{f)} Vnde intelligitur, et eos restissime iudicare, qui cum CLEMENTE ALEXANDRINO^{g)} iurandum ὁμόλογαν παθεστίκην μετα προσπεχειν θεος esse existimant, et vsum eius a consilio bene constitutae civitatis nequaquam abhorrente. Cum enim in optimo quoque tantus nonnunquam existere possit cupiditatum tumultus, quo ad audienda rationis praecepta surdus reddatur, qui tamen, si mens numine completa fuerit, facile sedabitur, et pauciam perdit sint, quin cogitatio Dei aliquid in animis ipsorum efficiat: exinde apparere existimo, religiosam adffirmationem et ad veritatem eruendam haud inepte adhiberi, et in promissionibus faciendis temeritatem coercere, ideoque animum obligatione firmiori adstringere.^{h)}

Etsi vero hanc de natura iurisiurandi expositionem mihi solam placere profiteor, non tamen tantum ei tribuo, ut eam omnibus aut debere aut posse persuaderi putem. Cum enim maxime diuersae sint hominum de Deo rebusque sa-

cris

f) Arctissimum hanc honestatis cum religione coniunctionem, ex qua sola vis iurisiurandi penderet, omni quidem tempore agnouerunt: nunquam tamen tam luculenter demonstrata est, quam nostra actate a criticis philosophis est factum: vid. vt ceteros faceam, SCHMID im Versuch einer Moralphilosophie, §. 167. seqq. inpr. §. 217. Quare notam merentur, qui inter alia, quibus nouae huic philosophandi rationi inuidiam creare student, hoc quoque vtuntur, quod eam iurariurando parum tribuere dicant.

g) Strom. I. VII. pag. 728. edit. Sylburg.

h) Hae rationes sufficere mihi videntur ad refellendos eos, qui iurandum vniū esse negant: vidd. e. gr. SCHLETTWEIN, von den Rechten der Menschheit, §. 108. FLAVIVS vom Eide, §. 1. aliique.

eris opiniones, quibus notionem, quam iuriurando subiiciunt, consentaneam esse necesse est,¹⁾ ne fieri quidem potest, vt de ista omnibus idem videatur. Nec ad bonum publicum multum refert, quam quis in hac specie sententiam animo concipiatur, modo, vt fidem et officium sequatur, ipsum impellat. Quare vt eam explicationem vituperem, quae in Iureconsultorum libris obvia est²⁾, non aliam causam habeo, nisi quod, vt vulgo accipi solet³⁾, a ratione, quam aetas nostra in rebus diuinis suscepit, tota aliena est, periuriis temere committendis ansam praebet, ideoque, si qui parum curiose in veram iuriurandi indolem inquirant, ad religionem eius contemnendam facillime eos perducit. Nam in antiquis quidem hominibus, qui rebus quibuscumque paulo insignioribus numina inesse credebat, ad quorum vini praesentein potestateque quotidianos rerum euentus referebant, et praeterea Deos suos affectibus humanis ita subiectos esse fingeabant, vt de ipso Deorum hominumque parente PROPERTIVS canere non erubesceret:

Periuras — ille solet punire puellas,

Deceptus quoniam flevit et ipse Deus,⁴⁾ repentinae vindictae meus effectum habere poterat, nec a Iudacis quidem atque Christianis, quamvis veri Dei cognitione imbutis, iste timor olim alienus fuit. Hodie autem, qui

¹⁾ vid. GARVE in den Aumerk. und Abhandl. z. CICERO von den Pflichten, Th. III. S. 245-257. hunc locum egregium, quem saepius in rem meam conuertere possem, hic semel laudasse sufficiat.

²⁾ Non necessarium puto, antores adserere, qui iuriurandum invocacionem Dei in testem arque vindicem dicant; quippe in libris doctrinae causa conscriptis eam notionem semper reperies.

³⁾ Eam enim interpretatione adiuvari posse, non negaverim.

⁴⁾ L. II. cl. 13. v. 54.

qui in rebus ad religionem pertinentibus ultra vulgus sapere sibi videntur, inuocationem Numinis in testem atque vindicem a maiestate diuina et pietate abhorre, eamque in Deo, qui certo consilio vniuersum gubernat, nec temeritate hominum de instituta ratione demoueri se patitur, nullius efficacie esse existimant. Itaque facile sibi persuadent, iurisurandi praestationem inanis caerimoniae loco habendam esse, quam ad terrendos imperitos legumlatores inuenerint. Quodsi adhuc reperiantur, qui mentem diuinam ad vlcisceadum perierantis scelus ira commoueri posse putent, hi nihil humani adfectus a Deo alienum esse credent, iisdemque rationibus, quas IVVENALIS^{*)} impio cuidam subiicit:

*Vt sit magna, tamen certe tenta ira Deorum est;
exorabile numen
fortasse experiar; solet his ignoscere;
animum trepidum confirmantes ad periuria facienda eo facilius prolabentur.*

Quibus efficitur, auctoritati iurisurandi egregie consultum fore, si notio eius, quae adhuc recepta fuit, e republica iureconsultorum proscripturatur.

Sed quoniam de hac accusationis parte latis est dictum, ad alteram accedam, eaque, si possim, perficiam, ipsam formam, quam iura nostra in sacramentis exigendis obseruari volunt, multa continere, quibus vis religionis in animis hominum imminuitur. Et si mihi quidem id negotio datum esset, vt aptam iuriurando peragendo rationem praescriberem, paucis me defungi posse arbitrarer. Nam, quae in multis prouinciis ex ipsa lege iusurandum antecedere debet,

^{*)} Sat. XIII. v. 100. seqq.

bet, admonitionem iudicis, et si in viro graui ac constante su-
 peruaeanam esse fatear, ad leuitatem multorum coercendam,
 cosque, vt ad id, quod agitur, animum erigant, incitandos
 necessario retinendam esse statuerem. Quam peragenti, nisi
 praeterea expositione carminis opus sit, hoc in primis propon-
 sum esse debet, vt rationes officii, quibus ad fidem in di-
 clis atque promissis seruandam impellatur, iuraturo explicet,
 eumque, quanta vis iurijurando ad mentem a prauitate abdu-
 cendam insit, edoceat. In quo postremo tamen nihil profi-
 ciet, nisi, quantum conjectura adsequi potest, ad eam notio-
 nem, quam iurans sacramento subiicit, orationem suam ac-
 commonet. Deinde cum eo peruentum esset, vt verbis con-
 ceptis iuraretur, omni ritu inani semoto, qua maxima bre-
 uitate fieri posset, verba perspicua, grauia, et quae Deum O.
 M. religiose appellarent, iuranti praeirem. Quae omnia eo
 rectius constituisse me existimare, quo minus negari posse
 puto, nostram aetatem in rebus seriis tractandis a nimia ri-
 tuum formularumque obseruatione, quae in antiquis homini-
 bus, qui toti a sensibus pendebant, multum efficere poterat,
 et valde iam alienam esse, et in dies magis alienari.

At vero quantum ab ista, quam modo exposui, sim-
 plicitate juris pracepta nonnunquam abhorrent. Ipsa admo-
 nito, quam, si res ita exigere videtur, a ministro ecclesiae
 peragi iubent, nonne experientia telle eam opinionem in mul-
 tis producit, qua iuriandum, quod ab isto solenni solutum
 sit, leuius esse rentur, in quo adeo minori cum danno falla-
 cibus esse liceat. Quid sublatio trium duorum digitorum
 inflexis reliquis a mariibus, cum iurant, facienda, quem ritum
 et maxime inanem esse, quippe cuius significationem aut pla-
 ne diuinari posse negant, aut talera adferunt, quam totam



in ineptis esse^o) nemo sanus negauerit, et friuolae superstitioni atque periurio haud raro ansam praebere constat: quae ad eum morem, quem foeminas, cum sacramento rogantur, obseruare oportet,^p) similiter possunt transferri. Quid? quod in pronuncianda iurisjurandi formula receptum est, singula verba pselecta a iurante sigillatim reddi, nonne aliquid habet, quod rei peragendae grauitati parum conueniens est, et, quod in primis notam meretur, impedit, quo minus de isto, quod religione firmari debet, toto animo cogitare possumus. Felici fortuna est factum, quod de ritibus multo magis improbandis, quos maiores tenebant, de ostentatione capitis mortui, aliisque ad horrorem iuranti incutendum comparatis, amplius dicere non sit necesse. Quid autem de formulis loquar, quibus sacramentum includi solet? Utinam ob causam solum causam accusari deberent, quod obscura multa atque talia continent, quae vulgus hominum aut plane non intelligit, aut peruerse interpretatur:^q) huic enim rei diligenti expositione facta forsitan occurri posset. At enimvero in aprico est positum, multa secundum formulas vsu receptas in promissiones iuratas deduci, quae, cum mutato rerum statu mutatisque moribus consuetudine oblitterata sint, quisque se tuto negligere posse existimat.^r) Quo efficitur, ut reliqua etiam, quae haec carmina comprehendunt, eadem

^o Videant, qui talia nosse cupiunt, SAM. STRYCK de cautelis iuramentorum,

p. m. 34.

^p v. Ebdovici de solemnibus iuramentorum.

^q Eam conditionem esse verborum: gefährlicher Weise, quae in multis iurandi formulis occurrit, experientia comprobatum est.

^r Illustrum exemplum occurrit in iurisjurandi formula, qua notarius obstinatur publicus. Conf. etiam d. Briefe über die Kaiserwahl (L. 1791.) p. 110.

trutina pensentur, et vniuersa iurisiurandi religio in contemptum adducatur. Quantum autem solemnis imprecatio, qua auxilio ditino, si peieraueris, renunciare oportet, momenti adserat ad idem malum efficiendum, si ea non recte explicetur, ex iis, quae de notione iurisiurandi recepta, cui istud carmen consentaneum est, supra disputauimus, facile est dijudicare.

Restat, ut tertiam vituperationem adseram, qua leges nostrae, qua parte de sacramento praecipiunt, eo digniores mihi videntur, quo minus, vt iura horumque consultos decet, circa istius vsum cautae reperiuntur. Etsi enim minime adserient EPICTETO, ἔγραντις παραγγέλματος, οὐ μετέπειπον τοῖς ἀπόστολοις, praecipienti, verissimum tamen, et ad legumlaatores commonendos aptissimum esse existimo, quod addit: οὐ δέ μη, εἰ τοις ἐνοχτούσι; ²⁾ neque illa maior labes auctoritati iurisiurandi inferri potest, ac si religio eius aut, nisi ad firmandum id, quod officii ratio postulat, aut nimis frequenter, aut dicis solummodo causa usurpetur. Nam commemorationem numinis diuini a iurante ideo faciendam esse, quo promptior officio obsequatur, cupiditates contrariae facile frangat, supra ostensum est. Quare inutilē eam atque adeo impiani esse fatēamur, si ad ea adhibeatur; quae ab officio aliena aut eidem contraria sunt. Et nonne legitima consecutione evenier, ut idem contemptus, quo tale iurisandum iure persequimur, ad quasvis eius formas transferatur? Perulgatum deinde est, quae quotidie fiunt, vilipendi, ideoque ciuitates iis praeferunt subsidiis, quae in animis ciuium vim suam exercere debent, raro et magna cum cautione uti debere. Vnde colligo, iuratae promissioni locum iure concedi non posse, quoties, vtrum quis fidem in promissis colat, intelligi, et ad seruandā eam compelli possit;

B 3

exi-

¹⁾ v. ἑγγυητὴ. c. 23. §. 5. modo lectio sit sana, de quo vid. HEYNE, h. l.



eximum contra eius usum in iis obligationibus suscipiendis esse, in quibus adimplendis alios celare, et perfidiae poenam effugere licet. Ne autem in altero obtestationum genere, quo facta confirmantur, praeter modum aliquid fiat, an verum comperire necesse sit, nec ne alia forte via ad eundem finem perueniri possit, diligenter considerandum est. Quod si denique ad auctoritatem iuriurando conservandam hoc etiam requireo, ne dicas causa usurpetur, nihil aliud nisi temeritatem eorum arguere volo, qui per alias nonnunquam recte iurari posse existimant, in quo omnes me consentientes habeturum esse putō, qui cogitant, sacramenti dictiōnēm, nisi ad mentem iurantis referatur, vanam esse et effectu plane desitui.

Quam parum autem iura passim his, quae de recto iuriurandi usu in universum adhuc disputauimus, consentanea sint, prolixe ostendere, eo facilius supersedere possum, quo saepius de eadem re a recentioribus conquestum esse constat.²⁾ Quamquam eas iurandi formas, quibus, quod extra officiorum fines versetur, firmandum sit, inter nos rarius obuenire, concedendum est. Nam nec leges in sacramentis exigendis hos limites migrant, cum iuriurandum religionis, ut vocant, quod solum extra eos vagari videri posset, eam vim non habere, ut sanctissimam libere de rebus diuinis sentiendi facultatem hominibus eripiat, in confessio sit positum: et si forte priuati tali modo iureiurando abusi sint, postquam a perueris canonum principiis, quae actus aut ob vim vel dolum intercedentem vitiosos, aut a legibus in fauorem singulorum infirmatos, religione sustineri posse statuant, fere recessimus,³⁾

vis

²⁾ v. in primis G. H. AYRE, *de abuso iuramentorum e republica proscribenda*, Goett. 1741. & I. F. MAELBLANG in libro egregio, cui inscribitur: *Doctrina de iureiurando*, Norimb. 1781.

³⁾ v. MAELBLANG, l. l. §. 117-118.

vir omnis ei detrahitur. Sed eo maior copia in eo genere reperitur, vbi praeter necessitatem iusurandum exigitur, e quo, quoniam ad consilium huiusc scriptoris sufficit, pauca modo delibabimus. Ac primum quidem rectissime sentire mihi videntur, qui usum iurisiurandi promissorii in negotiis priuatorum plane tollendum esse censem: ^{x)} quippe in his alia adminicula suppetunt, quibus fidei priuatae consulatur. In quo genere quaedam adhuc corrigenda existare, ambiguum esse non potest, modo de cautionibus iuratis, de iure iurando ab uxore, cum pro marito intercedit, praestando, aliquo similibus cogitemus. Sed in publicis etiay negotiis nimium esse iuratae promissionis usum, ex ingenti sacramentorum in adeundis muneribus praestandorum numero plura exempla, si ad regulam supra propositam accurate examinentur, demonstrant. Neque minus in altera iurisiurandi specie, quae veritatis demonstranda causa comparata est, peccatur. Nam litigantibus in eo sibi inuicem deferendo nimiam dari licentiam, optimi cuiusque calculo comprobatur; ^{y)} iurisiurandi de credulitate vanitas, si praecpta philosophorum de probabili ei intuleris,clare eluet; ^{z)} in locum iurisiurandi caluniae plerisque in casibus alia causae probandae adminicula commode succedere possent; ^{a)} iurisiurandi purgatorii quoque

^{x)} v. MALBLANC, I. I. §. 10.

^{y)} v. STEINHAEUSER im *Flavius vom Eide*, Leipz. 1785. cui tamen, cum iurisiurandi delationem plane proscribendam esse censem, non adfentior. TOEFFER de *probatione per iurisiurandi delationem caute inservienda*, WIESAND in *Programmate adiuncto*. Viteb. 1790. aliquo plures.

^{z)} v. *Diatr. de iuriciurando credulitatis secundum praecpta philosophorum de probabili iudicium*. Viteb. 1788.

^{a)} quatenus ab eo, qui aduersarium sacramento rogauit, exigitur, ibi praesertim inutile est, vbi leges ad iurisiurandi delationem eos solum admittunt, qui, quod adserunt, ex aliqua parte dederunt probatum. v. MALBLANC, I. I. §. 53. et 90. qui tamen in eo modum excedere mihi vide-



que usum multi grauissimi de causis damnarunt.^{a)} Sed diutius iusto commorareret, si casus singulos enumerare vellem, in quibus ad factorum dictorumue fidem firmandam religione praeter necessitatem vntur. Rectius sane leges nostrae in eo versatae sunt, quod, quena tertio loco posueram, iurisiurandi abusum paene totum sustulerunt, nec *vicariis manibus iurare*, quod moribus Germaniae fieri poterat, facile permittunt. Quo magis optandum esset, ut reliquiae etiam eius consuetudinis, quae hinc inde adhuc supersunt,^{c)} almae fidei conservandae tanquam victimae offerrentur.

Atque sic quidem omnem doctrinam de iureiurando ambitum, quatenus causas contemti inter nos iurisiurandi eō contineri puto, exhaustissime mihi videor. Sapientissimae vero de iureiurando leges ad auctoritatem ei conciliandam nihil valebunt, nisi animi ciuium pio religionis amore sint pleni. Huic igitur excitando alendoque rerum publicarum antistites operam diligentissimam nauare debent, quod tamen consilium haud alia ratione felicius ipsis succedit, ac si scholis coctibusque sacris tales praeificant viros, qui et ingenio valent, ad semina virtutis, quae in cuiusvis animo alte reposita sunt, elicienda, & ipsis sensu pietatis vero ita imbuti sunt, ut sermo eorum ac institutio ad audientium mentes facile possit descendere.

videtur, quod iusiurandum calumniae mere *superfluum* appellat. Quid? si leges istud non aliter praestandum esse statuerent, nisi cum adversarius, cui iusiurandum de vniuersa causa delatum esset, temerarie litis suspicio mota, deferentem calumniam antea iurare, diserte postularet. Sic enim et calumniandi libidini obices ponerentur, et abusus religionis euitaretur.

b) v. idem, §. 110. vbi plures, qui in simili sententia sunt, adducantur.

c) v. MALBLANC, l. l. §. 94.

ULB Halle
004 334 728

3



f

86

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

DE

CAVSIS CONTEMTI IVRISIVRANDI

ILLVSTRIS

IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

CAROLO CHRISTIANO
KOHLSCHÜTTER

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE

A. D. III. APRIL. MDCCXCII.

H. L. Q. C.

DISSERET

AVCTOR

IOANNES SAMVEL IVNGHANS

MISNENSIS SAXO.

VITEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.

